

CHRONICA PELAGII EPISCOPI OVETENSIS

VEREMVNDVS II

Mortuo Ranimiro, Veremundus Ordonii filius ingressus est Legionem, et accepit regnum pacifice. Prefatus rex indiscretus et tyrannus per omnia fuit. Sine causa dominum Gudestem Ouetensem episcopum cepit in castro quod dicitur Prima Regine in finibus Gallecie per tres annos in uinculis tenuit. Interea Saluator mundi tantam siccitatem in terra dedit, quod nullus homo arare uel seminare potuit, unde facta est fames ualida in tota Hispania. Tunc homines Deum timentes dixerunt regi: "Domine Rex, quidam serui Dei uisionem uiderunt, et dixerunt nobis quod peccasti in Deum, quando cepisti Ouetensem episcopum, et quod non pluet nec fames exiet a regno tuo, quousque soluas et dimittas in pace predictum episcopum". Hoc audito, Rex misit nuncios ad Astoricensem episcopum Dominum Xemenum, cui commendauerat Ouetensem Ecclesiam, et iussit absolui prefatum Ouetensem episcopum, et restituit eum Ecclesie sue. Ab illa igitur die Dominus Iesus super faciem terre pluuiam dedit, et terra dedit fructum suum et expulsa fuit fames a regno suo.

Deinde aliud deterius egit tyrannus ille Rex: tres serui Ecclesie Sancti Iacobi Apostoli, quorum nomina sunt hec, Zadonem et Cadonem et Ensionem, accusauerunt apud eum falso dominum suum Adulfum episcopum crimine pessimo. Ille uero, ut erat indiscretus, facile prebuit aures illi accusationi falsissime et credidit misitque uelociter nuncios qui dicerent Iacobensi episcopo quod in die Ramorum Palamarum post consecratum Crisma a Compostella exiret, et in die cene Domini Ouetum, ubi ipse erat, ueniret. Interim autem Rex iussit adduci boues indomitos quam plures, elegit unum ferocissimum, quem teneri fecit, donec ueniret predictus episcopus.

Pontifex uero, constituto die, Ouetum uenit. Cui milites regis dixerunt ut prius ueniret ad regem quam Ecclesiam intraret. Ipse uero, fultus in Domino, dixit: "Ego ibo ad Regem regum prius et Saluatorem nostrum, et postea ueniam ad tyrannum regem uestrum". Illico intrauit Ecclesiam nostri Saluatoris et induit se sacris pontificalibus indumentis, et celebrato diuino misterio, sic ab Ecclesia indutus exiit et ad locum ubi taurus erat ante fores palatii regis, ubi fere omnes Astures conuenerant ad spectaculum, uenit. Tunc Rex taurum dimitti precepit. Ille autem uelociter cucurrit et cornua in manu episcopi dimisit et reuersus multos derisores interfecit; postea siluas, unde uenerat, petiit.

Episcopus itaque ad Ecclesiam reuersus, cornua que in manibus tenebat ante altare nostri Saluatoris proiecit et Chadonem et Ansionem et Zadonem excommunicauit, et orauit et dixit quod de semine eorum usque in finem mundi quidam essent leprosi et alii ceci et alii claudi et alii manci propter crimen falsum quod imposuerant ei. Et maledixit regi et dixit quod in semine eius surrexit palam, cunctis uiuentibus, hoc scelus. Deinde episcopus, exutus sacris uestibus, noluit ultra uidere tirannum illum, sed mansit ibi in eadem sede quatuor diebus, et II. feria post Pascha ab Oueto cum suis exiit, et in ualle Pramerensi ad ecclesiam sancte Eulalie uenit, et ibi mansit.

Quo loco percussus infirmitate, corpus et sanguinem Domini sumpsit, et quarta feria illucescente die spiritum Domino tradidit. Tunc sui qui uenerant cum eo statim feretrum fecerunt, in quo eum ad Ecclesiam ubi episcopus fuerat deportare uoluerunt. Sed Rex noster celestis eum tam immobilem fecit, ut a mille manibus hominum non possit aliquantulum moueri. Dehinc, consilio accepto, in sepulchro lapideo optimo in sacrario quod est in latere prefate ecclesie uirginis Eulalie ad Aquilonem sepelierunt. Deinde reuersi sunt unusquisque in propria.

Aliud nefas nefandissimus ille princeps egit. Habuit duas nobiles sorores; ex una genuit infantem Dominum Ordonium, ex alia genuit infantissam dominam Geloiram. Ipse infans Ordonius ex infantissa Fronildi Pelagii genuit plures filios, quorum nomina sunt hec: Adefonsus Ordonii, Pelagius Ordonii, Veremundus Ordonii, Sancius Ordonii, Xemena Ordonii. Ipsa Xemena ex comite Munione Roderici genuit comitem Rodericum Munionis, qui postea mortuus fuit in lite de Sacralias.

Predictus etiam princeps ex una rustica femina nomine Velasquita, filia Mantelli et Bellalle de Meres iuxta montem Copcianem, genuit infantissam dominam Christinam. Ipsa autem Christina genuit ex infante Ordonio filio Ranimiri infantis ceco plures filios et filias: Adefonsum scilicet Ordonii, Sanciam Ordonii et comitissam Eldonciam, que fuit uxor Pelagii Froile, qui diaconus fuit, et genuit ex illa comitem Petrum Pelagii, Ordonium Pelagii, Pelagium Pelagii, Munionem Pelagii, et matrem Suarii comitis, et fratres eius, et Tarasiam comitissam Carrionensem, que edificauit Ecclesiam Sancti Zoili.

Predictus etiam princeps habuit duas legitimas uxores. Vnam nomine Velasquitam, quam uiuentem dimisit; aliam nomine Geloira duxit uxorem, ex qua genuit duos filios, Adefonsum et Tarasiam. Ipsam uero Tarasiam post mortem patris sui dedit frater eius Adefonsus in coniugio, ipsa nolente, cuidam pagano regi Toletano pro pace. Ipsa autem, ut erat Christiana, dixit pagano regi: "Noli me tangere, quia paganus es. Si uero me tetigeris, Angelus Domini interficiet te". Tunc rex derisit eam et concubuit cum

ea semel, et statim, sicut predixerat, perucssus est ab Angelo Domini. Ille autem ut sensit mortem propinquam adesse sibi, uocauit cubicularios et consiliarios suos, et precepit illis onerare camellos auro et argento, gemmis et uestibus preciosis, et adducere illam ad Legionem cum totis illis muneribus. Quo loco illa in monachali habitu diu permansit, et postea in Oueto obiit, et in Monasterio Sancti Pelagii sepulta fuit.

Igitur propter peccata memorati principis Veremundi et populi, rex Agareus cui nomen erat Almanzor, una cum filio suo Adamelch et cum Christianis comitibus exiliatis, disposuerunt uenire et destruere et depopulari Legionense regnum. Cum uero audissent et cognouissent Legionenses et Astoricenses ciues illam plagam uenturam super eos, ceperunt ossa regum que erant sepulta in Legione et Astorica, una cum corpore Sancti Pelagii Martiris, intrauerunt Asturias et in Oueto in Ecclesia Sancte Marie dignissime sepelierunt ea. Corpus autem Sancti Pelagii posuerunt super altare Beati Iohannis Babtiste. Quidam autem ex ciuibus Legionis leuauerunt corpus Sancti Froilani episcopi infra Pirineos montes in Valle Cesar et posuerunt eum super altare Sancti Iohannis Babtiste. Predictus itaque Rex Sarracenorum, sicut disposuerat, uenit cum exercitu magno et destruxit Legionem et Astoricam et Coiancam et circumadiacentes regiones deuastauit. Asturias, Gallaeciam et Berizum non intrauit. Castella quedam scilicet Lunam, Aluam, Gordonem capere non potuit.

Corpora uero regnum conciderunt, de quibus prediximus, extra ante sepulchra priorum regum. In prima theca, que est in medio, conciderunt corpora Adefonsi regis et eius uxoris Xemene regine. In secunda theca, que est ad dexteram partem, posuerunt corpora Ordonii regis filii Adefonsi et Xemene, cum uxoribus eius Mummadonna et Sancia. In tercia uero theca sepelierunt corpora Ranimiri regis filii Ordonii et Mummadonne, cum filiis eorum: Ordonio rege et eius uxore Geloira, Sancio rege et eius uxore Tarasia. Ad leuam autem in secunda theca condiderunt corpora Froilani regis filii Adefonsi et Xemene, una cum uxore sua Mummadonna regina; et secus isti in tercia theca sepelierunt reginam Geloiram, dictam Castam, filiam Ranimiri et Tarasie. Et in quarta theca, que est excelsa, sepelierunt reginam Tarasiam uxorem predicti regis Ranimiri ad caput, et ad latus Mausolei Adefonsi regis Casti condiderunt ossa filiorum filiarumque ex predictis regibus era MXXXV.

Sed Rex celestis, solita pietate, memorans misericordie sue, ulcionem fecit de inimicis suis. Morte etenim quidam subitanea et gladio ipsa gens Agarenorum cepit assidue interire, et ad nichilum cotidie deuenire. Prefatum etiam Veremundum regem pro tantis sceleribus que gessit, percussit eum Dominus podagrica infirmitate, ita quod

deinceps nullum uehiculum ascendere potuit, sed in humeris humilium hominum de loco ad locum gestabatur dum uixit. Et in Berizo uitam finiuit, et in Villabona sepultus fuit, et post aliquantos annos translatus est Legionem. Regnauit autem annos XVII.

ADEFONSVS V

Quo defuncto, Adefonsus, filius eius, habens a natiuitate sua annos V, et acceptus est regnum Era MXXXVII, et nutritus est a comite Menendo Gundisalui et eius uxore comitissa Domina Maiore in Gallecia. Et dederunt filiam suam in coniugio, nomine Geloiram, ex qua genuit duos filios, Veremundum et Sanciam. In his diebus Fredenandus Rex, filius Sancii Grassi regis, duxit uxorem nomine Sanciam, filiam predicti regis Adefonsi.

Tunc prefatus rex Adefonsus uenit Legionem celebrauitque concilium ibi cum omnibus episcopis, comitibus siue et potestatibus suis, et repopulauit Legionensem urbem, que fuerat depopulata a predicto rege Agarenorum Almazor, et dedit Legioni precepta et leges que sunt seruande usque mundus iste finiatur, et sunt scripte in fine Hystorie Regum Gothorum siue et Arragonensium. Regnauit autem annos XXVI et interfectus est cum sagitta apud oppidum Veseum in Portugale. Sepultus est in Legione cum iam dicta uxore sua Geloira.

VEREMVNDVS III

Quo mortuo, filius eius Veremundus successit in regno patris sui. Tunc Fredenandus Rex, congregato magno exercitu, pugnavit cum cognato suo rege Veremundo in Valle Tamaron, et ibi mortuus fuit Rex Veremundus, et sepultus in Legione. Regnauit autem annos X, era MLX.

FREDENANDVS I

His peractis, prefatus Rex Fredenandus uenit et obsedit Legionem, et post paucos dies cepit eam, et intrauit cum multitudine maxima militum, et accepit ibi coronam, et factus est Rex in regno Legioni et Castella. Tunc confirmauit leges quas socer eius Rex Adefonsus Legioni dedit, et alias addidit, que sunt seruande.

Rex iste fuit homo bonus ac timens Deum, genuitque ex predicta Sancia regina quinque filios: Vrracam, Sancium, Adefonsum, Garseam, Geloiram. Fecit ergo magna cede in Sarracenos, et per unumquemque annum accepit constituta tributa a regibus eorum.

Iste bellando cepit Lamego, Viseo, Coimbria, Sena, et alias multas ciuitates et castella Agarenorum. Iste preliando in Ataporca interfecit fratrem suum Garseanum regem, et accepit regnum eius era MLXV.

Iste transtulit corpus Sancti Isidori episcopi ab Yspali Metropoli in Legionem, per manus Pontificum Aloiti Legionensis et Ordonii Astoricensis era MLXVI. Iste fecit translacionem Sanctorum Martirum Vincencii, Sauine et Christete ab Abela: Vincenti in Legionem, Sauine in Palenciam, Christete in Sanctum Petrum de Aslanza.

Vixit autem in pace regnauitque annos XVIII, et mortuus est et sepultus in Legionensem urbem una cum predicta uxore sua Sancia regina era MCIII. Et ante quam moreretur diuisit regnum suum sic filiis suis. Dedit dompno Sancio per flumen Pisorga tota Castella, Nagaram, Pampilonam cum omnibus regalibus sibi pertinentibus. Dedit dompno Adefonso Legionem per flumen Pisorga, totas Asturias de Transmera usque in flumine Oue, Astorica, Campos, Zamoram, Campo de Tauro, Berizo usque uilla Vx, in monte Ezebrero ad illa Vlze. Dedit Dompno Garsea totam Galleciam, una cum Portugale.

SANCIVS II

Post hec Sancius Rex cepit dimicare aduersus fratrem suum Adefonsum regem, ut caperet regnum eius, et constituerunt diem et locum designatum in Plantata, ut dimicarent ad inuicem, et quisquis uictoriam acceperit accipiat et regnum fratris sui. Et uenerunt ad constitutum diem et pugnauerunt ad inuicem et ibi uictus fuit Adefonsus Rex et reuersus est Legioni. Iterum stabilierunt litem in Golpelleria et ibi captus est in pugna Adefonsus rex et missus in uinculis et ductus Burgis. Deinde in exilio in Tholeto cum rege Alimemone et ibi fuit cum eo exiliatus usque ad mortem fratris sui Sancii regis.

Tunc Sancius rex cepit regnum fratris sui Adefonsi regis et imposuit sibi in Legione coronam. Et fuit homo formosus nimis et miles strenuus. Perlustrauit uero Asturias, Galleciam, scilicet et Portugalem. Regnauit autem annos VI et interfectus est extra muros Zamore, quam obsederat, ab uno milite nomine Velliti Ariulfi per prodicionem, et sepultus est in Castella in Monasterio Sancti Saluatoris de Onia.

ADEFONSVS VI

Quo audito, Adefonsus rex uenit uelociter et accepit regnum fratris sui Sancii regis et regnum suum, quod perdiderat. Post non multos uero dies uoluit capere regnum fratris sui Garseani, et per ingenium graue sine pugna captus est Garseanus rex et missus in uinculis per XX annos et amplius, et ibi in illa capcione uoluit minuere se sanguinem, et

postquam sanguinem minuit, decidit in lecto et mortuus est et sepultus in Legione. Requiescat in pace.

Illico predictus rex cepit regna fratrum suorum. Tunc Adefonsus rex uelociter Romam nuncios misit ad Papam Aldebrandum cognomento Septimus Gregorius. Ideo hoc fecit, quia Romanum misterium hebere uoluit in omni regno suo. Memoratus itaque Papa Cardinalem suum Ricardum, Abbatem Marsiliensem, in Hispania transmisit. Qui apud Burgensem urbem concilium celebrauit confirmauitque Romanum misterium in omni regno regis Adefonsi era MCXIII.

Et cum predictus rex multa agmina haberet militum, perlustrauit omnes ciuitates et castella Sarracenorum et accepit dum uixit constituta tributa eorum per unumquemque annum. Et depopulauit et deuastauit et predauit multas ciuitates ipsorum, et ui obsedit ciuitates Sarracenorum et cepit eas et castella similiter. Cepit Tholetum, Talauera, Sancta Eulalia, Maqueda, Alfamin, Arganza, Maierit, Olmos, Canales, Casatalifa, Salamantica, Vlzedo, Guedalfaiara, Fita, Ribas, Caraquei, Mora, Alarcon, Aluende, Consocra, Vcles, Massatrico, Conca, Almudouar, Alaet, Valencia. Ex alia parte Cauria, Olixbona, Sintria, Sancte Herene. Populauit etiam totam Strematuram, castella et ciuitates Salamantica, Abelam, Cocam, Areualo, Olmedo, Medinam, Secobicam, Iscar, Collar.

Post hec etiam tantis prosperitatibus ad tantam elationem peruenit, ut extraneas gentes que Almorabites uocantur ex Africa in Spania per regem Abenabet misit, cum quibus prelia multa fecit et multa contumelia dum uixit accepit ab eis. Era MCXXIV fuit litem in campo in Sacralias cum rege Iuceph.

Iste Adefonsus fuit pater et defensor omnium ecclesiarum Hispaniensium, ideo hec fecit quia per omnia Catholicus fuit. Tanto terribilis fuit, ut omnibus maleagentibus que nunquam auderent parere in conspectu eius; omnes potestates nobiles et innobiles, diuites et pauperes, qui erant in suo regno, non auderent unus in alterum litem mouere, neque aliquid mali facere. Tanta pace fuit in diebus quibus ipse regnauit, ut una sola mulier, portans aurum uel argentum in manu sua per omnem terram Hyspanie, tam habitabilem quam inhabitabilem, in montibus uel in campis, non inueniret qui eam tangeret uel aliquid mali ei faceret. Negociatores et peregrini transeuntes per regnum eius nichil uerebantur; non enim esset ausus quislibet, qui eis de rebus suis ualens etiam obulum auferret. Ad hec autem, ne ulla tempora vite ipsius uacarent a bonis operibus, studuit facere omnes pontes qui sunt a Locronio usque ad Sanctum Iacobum.

Cum iam tempus immineret mortis eius decidit in lecto et permansit in infirmitate annum unum integrum et mensibus septem. Et quamuis esset infirmus omni die, aliquantulum equitabat iussu medicorum, ut aliquod leuamen corporis haberet. Sed octo dies antequam ex hoc seculo migraret, fecit Deus in Legionensi urbe in ecclesia Sancti Isidori episcopi magnum prodigium. In Natiuitate Sancti Iohannis Bapstite, hora sexta, in lapides qui sunt ante altare Sancti Isidori, ubi tenet sacerdos pedes quando Missam celebrat, non per iunturas lapidum, sed per medias petras cepit manare aqua, uidentibus cunctis ciuibus, tam nobilibus quam innobilibus una cum episcopis, uidelicet Pelagio Ouetensi et Petro Legionensi, et hoc fuit factum tribus diebus V feria et VI siue et sabbato. In IV autem die, qui erat dominica, predicti pontifices induerunt se pontificalibus indumentis, similiter et omnis ecclesiasticus ordo induerunt se sacris indumentis, cereis in manibus tenentes. Facta processione ex ecclesia Sancte Marie usque ad altare Sancti Isidori una cum omnibus ciuibus, tam uiris quam feminis, intrauerunt Ecclesiam Sancti Isidori episcopi, dantes uoces cum lacrimis, laudantes mirabilia nostri Saluatoris. Peracto sermone ab episcopo predicto Ouetensi, et peracta Missa, accesserunt predicti episcopi ad locum ubi erat aqua, et ipsi episcopi biberunt ex ea et multi alii homines. Illam uero que remansit posuerunt in uase uitreo, et fuit in eo multo tempore in testimonium. Hoc signum nichil aliud protendit nisi luctus et tribulaciones que post mortem predicti regis euenerunt Hispanie; ideo plorauerunt lapides et manuerunt aquam.

Hic habuit V uxores legitimas: primam Agnetem; secundam Constanciam reginam, ex qua genuit Vrracam reginam coniugem comitis Raimundi, de qua ipse genuit Sanciam et Adefonsum regem; tertiam Bertam, Tuscia oriundam; quartam Helisabeth, ex qua genuit Sanciam coniugem comitis Roderici, et Geloiram quam duxit Rogerius dux Sicilie; quintam Beatricem, que, mortuo eo, repedauit in patriam suam. Habuit etiam duas concubinas tamen nobilissimas, priorem Xemenam Munionis ex qua genuit Geloiram, uxorem comitis Raimundi Tolosani, patris ex ea Adefonsi Iordanis, et Tarasiam, uxorem Henrici comitis, patris ex ea Vrrace Geloire et Adefonsi; posteriorem nomine Ceidam, filiam Abenabeth regis Hyspalensis, que baptizata Helisabeth fuit uocitata, ex hac genuit Sancium, qui obiit in lite de Ocles.

Ipse uero gloriosus Rex uixit LXXVIII annis, XL tribus et VI mensibus ex eis in regno. Obiit Kalendas Iulii in Tholeto era MCXLVII quinta feria illucescente, flentibus cunctis ciuibus et dicentibus: "Cur pastor oues deseris? Nam commendatum tibi gregem et regnum inuadent enim eum Sarraceni et maliuoli homines". Tunc comites et milites nobiles et innobiles, siue et ciues, decaluatis capitibus, scissis uestibus, rupte facies

mulierum, asperso cinere cum magno gemitu et dolore cordis dabant uoces usque ad celos. Post XX autem dies duxerunt eum in territorio Ceie, et omnes episcopi atque archiepiscopi, tam ecclesiasticus ordo quam secularis, sepelierunt predictum regem in Ecclesia Sanctorum Facundi et Primitiui cum laudibus et hymnis. Requiescat in pace. Amen.